



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

586. An promotus ad Episcopatum, cum Indulto apostolico retinendi pensiones antè habitas, teneatur quoque expedire literas super hujusmodi Indulto,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)



modo dicendum videtur de impedimento similitudine incerto expeditionem literarum reservationis pensionis.

11. Limitatur secundò: ut non inducatur nullitas pensionis per exactiorem ante illam expeditionem, nisi exactio verè facta probata fuerit per concludentissimas probationes, ita ut probationes æquivoce nullatenus admittantur. Lott, *loc. cit. n. 13. Ventrigl. n. 32.*

12. Porro illud hic observandum, quòd, postquam paritum est isti decreto de non exigendo pensionem ante literas expeditas, vel etiam procurandi dictam expeditionem intra constitutum tempus, vi dictarum literarum non tantum exigì possint termini pensionum decursi post dictam expeditionem, sed etiam quotquot decursi à die reservationis pensionis ante dictam expeditionem, seu termini intermedii inter supplicationem signatam, & literas expeditas; eò quòd, ut dictum suprà, expeditio illarum non concernat substantiam gratia seu reservationis pensionis, sed solum executionem, ideòque impletio dicti decreti solum remouet obstaculum solutionis, & exactiõnis, quo ablato, res retrahitur ad suum initium, & gratia reservationis censum suum habet ab initio. Card. de Luc. *de pens. d. 29. n. 4. & d. 30. n. 10. & d. 44. num. 9. & 10.*

*Questio 586. An etiam promotus ad Episcopatum cum indulto Apostolico retinendi pensiones ante habitas (sive quo indulto eas alias cessarent & extinguerentur) teneatur quoque expedire literas super huiusmodi indulto?*

**R**espondeo primò: Supponendo, quòd, ut refertur in constitutione Leonis X. mox citanda, continetur Sixtus V. & Julius II. ne literæ promotionis expeditur sine literis retentionis pensionum, etiam si talis promotus obtinisset supplicationem, etiam motu proprio signatam super huiusmodi retentionis pensionum, nisi desuper etiam expeditisset literas, eo ipso pensiones fore cassatas & extinctas; nisi forte in scheda Confistoriali, in qua signata supplica super isto indulto, fuisset dispensatum quòd ad expediendas infra literas. Sic enim habetur in constitutione Leonis X. publicata 3. Jan. 1520. quæ in Bullario est 35. ejusdem Papæ. & Clem. 7. publicata 19. April. 1524. quæ est 2. ejusdem Papæ in Bullar. Lott. *l. 1. q. 37. nu. 15. & ex eo Ventrigl. to. 2. annot. 11. §. 1. num. 35.*

2. Quòd tamen limitandum ita, ut, si promotus expeditisset literas super Ecclesia, seu promotione sua ad Episcopatum, & non expeditisset literas super dicta retentione, non illico in vim dictarum Constitutionum extinguatur pensio; cum dictæ Constitutiones non determinent tempus, quo inducitur talis extinctio, ac propterea, cum poena privationis non habeat locum, nisi in casibus expressis, expectandus est exitus, an tales literæ expeditantur, antequam promotus adipiscatur possessionem Ecclesiæ; tum enim demum inducitur pensio extinctio. Lott. *loc. cit. n. 16. & 17. Ventrigl. loc. cit.* Quòd si tamen etiam talis promotus impetravit Breve de capienda possessione ante expeditionem literarum super promotione cum decreto annullativo ipsius promotionis, nisi intra tot menses literas expeditisset, ceperitque possessio-

P. Leuren, Fori. Benef. Tom. III.

nem in vim istius Brevis ante expeditionem literarum super indulto retentionis pensionum ex eadem regula, quòd privatio non censetur inducta, nisi in casu expresso. Lott. *n. 18. juncto n. 19.* quem vide hoc ipsum pluribus *num.* declarantem. De cetero dicta de expediendis literis super indulto retinendi pensiones, dum quis per modum permutationis de uno Episcopatu ad alium transfertur, non procedere, tradit Lott. *loc. cit. n. 24.* addens in *fine. n. 26.* pensiones, præcindendo à jure singulari, ex stylo Curia; & dictis Constitutionibus, non extinguì per promotionem ad Episcopatum. De quo inferius.

*Questio 587. An, quando, & qualiter exhibenda & producenda dictæ literæ?*

**R**espondeo primò: Sive agatur de censuris, vel alia poena in literis comminata, sive agatur simpliciter de earum executione, literæ hæc non tantum exhibenda, sed & intimanda, non obstante, quòd fuerit præstitus consensus, etiam literis non intimatis vel exhibitis, præcipue stante regulâ Cancellariae *de non judicando*, hanc legem judici præscribente. Lott. *loc. cit. n. 27.* sed neque obstante, quòd literæ non sint de substantia gratia, sed tantum de forma probationis; cum in iudicio non tractetur de substantia in abstracto, sed in concreto ad effectum exceptibilitatis, cui forma est literarum exhibitio, ut iudex certus inde fiat de sua jurisdictione. Lott. *n. 28. & 29.* Unde de expeditione literarum, & mandato sibi facto Executor fidem habere non poterit parti, & validè sub assertione illa procedere, etsi postmodum revera ita compertum fuerit, ut pars asseruit; cum nec, ut ait Lott. *nu. 30.* examinando mille testes, iudex adhibere possit fidem de gratia principis facta, præcipue si ea facta motu proprio, adeòque necesse est, ut recipiat jurisdictionem in habitu executionis rescripti. Lott. *n. 31.* quòd sic intelligendum, quòd, licet delegatus habeat jurisdictionem in habitu ex die Data, tamen non recipiat exercitium, nisi ex die præsentationis literarum. Lott. *nu. 32.* juxta *c. super eo 11. secundo. de appellat. & Bellam. decis. 110. à n. 12.* quem citat.

2. Respondeo secundò: Similiter dum agitur de exequenda facultate transferendi pensionem, literæ super hac facultate sunt exhibenda, & nisi ea in effectu præsententur Executori, actus remanet nullus, juxta *c. super eo. Lott. loc. cit. n. 33.* citans Ferrer. *conf. 85. num. 4.* Crescent. *decis. 13. de concess. præb. & Rotam decis. 143. nu. 2. p. 2. recent.* ubi etiam dicatur, quòd non staretur assertioni Executoris, nisi actus exhibitionis fuerit per extensum scriptus, vel literæ apparerent in instrumento translationis registrata. Limitando tamen hoc ipsum ita, ut sustineatur actus translationis non exhibitis literis, si facultas transferendi data coram Notario, & testibus; eò quòd tunc Notarius non adhibeatur veluti Executor. Lott. *n. 35.* citans Rotam *decis. 689. nu. 4.* de cetero posse Executorem facultatis transferendi fidem habere exempto etiam impresso (quia agitur de actu, in quo non est citandus aliquis; cum nemo de hoc opponat) præsertim, si non sit merum exemplum, puta v. g. quia infectum esset in aliquo actu publico, vel etiam si inferens attestaretur, se vidisse originales, tradit Lott. *n. 36.* Porro huc usque dicta de plano procedunt respectu pensionarii, qui nec est in possessione, nec cum eo agit, qui pensioni consensit (intel-

B b

liga